

potuit, (nam illis primis 300. annis Ecclesia planè floruit) quis dubitat, hoc tempore eam, neglecto, immò etiam repudiato isto Antichristo, florere posse? Quis item dubitat, istam Pontificiam tyrannidem à Christo institutam non esse? Si enim Christi mandato ac ordinatione ista Papalis authoritas instituta fuisset, profectò primitiva illa Ecclesia, in tanto flore pietatis ac eruditionis, eam non ignorasset, multò minus neglexisset. Nec tamen tantum Pius iste secundus hoc testatur, sed & omnes vetustissimi Scriptores idem satis indicant. Cyprianus certè, qui & ipse Episcopus fuit, quoties ad Romanos Episcopos, aut alioqui de eis scribit, ita loquitur, ut in nullo eos suos Dominos aut Superiores agnoscere videatur: Appellat eos suos *Confessorates, Cöepiscopos, Fratres & Collegas*. Hinc igitur, & multò magis ex ipsa Historia, poterit Amplitudo vestra, Eximii ac Prudentissimi Domini, cognoscere, quām plane nullo divino jure Papa Romanus cæteris Christianis imperet. Nam taceo jam plures ejus planè horribiles idolomanias. Quæ cum ita se habeant, meritò etiam impietissimum istum Tyrannum de vestris ac subditorum vestrorum cervicibus excutietis, ejus abominationes abolebitis, veramque ac sinceram Christi pietatem, ex ipsius sacro-sanctis Evangeliorum fontibus haustam, instaurabitis. Multa autem lunt, quæ Vos ad hoc hortantur, præter illud severissimum Dei mandatum, quod idolatriam fugere jubet: item detestari ac anathematizare omne aliud Evangelium, præter id, quod Christus ac Paulus doruit, severiter præcipit. Cogitate, quæso tantum injurias, quas vel olim ab isto Tyranno perpetræstis; vel ne deinceps patiamini, si sub ejus tyrannie permanseritis, valde profectò verendum est. Nolo jam prolixè commemorare istorum impurissimorum ac impietissimorum Tyrannorum injurias, erga vestram præclarissimam Rempublicam, cum sæpè temerè, sine ulla justa causa, vel bella tristissima aut ipsi contra Vos moverunt, aut ut alii moverent, incitarunt, frigidamque suffuderunt, veletiam Vos, unà cum omnibus vestris fidis subditis, excommunicaverunt, ne videat malorum vestrorum commemoratione delectari. Liceat mihi, quæso, jam solum illud teterimum immanissimumque istius